Sacra Regia M^tas   ℞ 10. 7bris 1622 A°

313

N 81

Jucundum est S^mo D. N. gratificari M^ti V. Aut enim Cat^ce religionis digni=tati se consulere arbitratur, aut meritum uirtuti premium tribuere, dum eius petitioni annuit; quibus rebus precipua Romanorum Pontificum gau=dia continentur. Sane hec omnia nuper euenisse Urbs existimat, dum Ser^mo Poloniç Rege suffragante S^tas S^a Card^lem renunciauit Ill^mum D. Cosmum de Torres Archiep^m Adrianopolitanum. Nunc autem cum ille uberes regalis patrocinij, ac meritorum suorum fructus perceperit, eum quam pri=mum Romam redire cupit S^tas S^a, ut M^tis et regie domus V^re rationibus non minus in Urbe quam in Polonia consulat Princeps regalis bene=ficentie ubiq memor futurus, quem ego eius laudis cupidiss^m semper agnoui, quam in ostentanda grati animi uirtute, nobiles atque ingenui uiri semper constituerunt. Eius reditus, qui S^ti S^e so=latium afferet, non eam omnino delectaret, nisi ille huc reuerteretur amplis^o instructus commeatu regalis beneuolentie. Ne autem ipsius ualetudini, et itinerum longinquitas, et hyemis inclementia soci=atis incommodis obsit, gratiss^m erit S^mo D. N., si eius aduentus, an=nuente M^te V^a, hyberni coeli asperitatem precurrat. Quare moras omnes rumpi cupiens, noluit istuc aliquem ex Cubicu=larijs suis de more allegare, sed ei purpureum Biretum à Ta=bellario afferri iussit, qui citatis equis istuc quam celerrime deuolet. Gratum autem erit S^ti S^e atq ipsi Card. perhonori=ficum, si sacrum illud Cardinalatus insigne à uictrice M^tis V. dextera receperit, cuius suffragatione beneficium hoc acceptum semper referet. Ego autem M^ti V^re addictiss^s spero Ill^mi Card^lis huius pietatem atq prudentiam Rome

314

documentum fore cunctis nationibus, potentiss.ⁱ Poloniæ Reg
non solum invictæ fortitudinis palmam debere in hostibus p
fligandis, sed regalis etiam iudicij coronam in clarissim
viris extollendis. Regiæ M.tis V. manus ea, quâ par est
obsequentis animi demissione exosculor, eique a Deo
gloriosam christianæ Reip., atq. istis regnis salutarem
foelicitatem exopto. Romæ die 10 Septembris 16

Sacræ Regiæ M.tis V.

Humillimus
[illegible]

316

De cardinale Torres
10 sept. 1622 . Card. Ludovisi.